



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Venerabilis Arnesti, (vulgò Ernesti) Primi
Archiepiscopi Pragensis**

Balbín, Bohuslav

Pragæ, 1664

Aræ Vener. Arnesti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42763

Nullum Deo pulchrius spectaculum, quam virtus in adversis erecta, & constans sibi; quam nec Deus ipse (cujus gratia cœlesti ntititur) probando dejecit. Vir in calamitate fortis Regnum sibi ipse acquirit Virtutis, Virtutis Rex est; sed Regnum Cœlorum postea habebit à Christo.

ARÆ VENER. ARNESTI.

Absolvi tandem fælicissimi *Præfulis Arnesti* Beatitudinem, omnium humano-rum divinorumque bonorum aggregationem constantem, eamque gemmarum radijs adumbravi. Quid aliud, oro, superest, quam ut *Aram* statuam privatus ego, quam videlicet profanus hic calamus, & penna levis potest lineare? quid aptius agam, quam, ut alij in terrarum finibus, sic ego in exitu mei hujus laboris erigam, *Trophæum*? Ita apud *Ptolemaeum Aras Alexandri*, *Aras Pompeij*, *Aras Cæsaris Iulij*, aliorumq; Ducum legimus, & videmus: nec magno nuper sua defuit *Ara Maroni*. *Ara Tua VEN. Arnesti Præful* gemmis constituta tota. *Omnis lapis pretiosus operimentum Tuum!* Securus jam tui regnas in Cœlo, & fælicitatem Tuam, non ut nos cogitationis aspectu, sed sensu, & infiniti boni dulcissimâ

po-

Ara Maronia
in Poëtica lib.
alt. Scaligeri.

possessione metiris ! Quis verò jam radium il-
lum æternæ fælicitatis , & Beatitudinis Tuæ de-
scribat , quem à Divinitate cœlestis Tua Gloria
mutuatur ? Si septies Solem vincunt Corpora
Beatorum ; quânam luce cœlestes animæ ful-
gebunt ? nec oculus vidit , nec auris audivit ,
nec in cor hominis ascendit ! Unum & postre-
num hoc Te , afflcta bellis , strata Consilijs ,
orat Patria , ut (quod in medijs Triumphis Vi-
etori Roma clamabat) *hominem te , & no-*
strum esse memineris ! Redijt postliminiò in
Patriam Pietas , redijt Religio , Fides , Justitia ,
cæteræq; Virtutes ; cur Fælicitas , Opulentia , a-
liæq; Regnorum Beatitudines redire cunctan-
tur , aut vetantur ? Deus cuique faciat , ut bene
vel male meretur ! Sed nos Tuum illud Tibi ,
quod canere instituisti , repetimus : *nè sine nos*
perire ! nos & futuros tuere !

Vida Lib. s.
C. 15v

O Bohemia ! unus Arnesto Principi Tuo Radius deest , Tuorum scilicet
æculorum ! Leva Caput tuum , & ut appropinquet fælicitas Tua , Arnestum
Tuum , Præfulem & Parentem in terris , nunc in cœlis Patro-
num , venerare !



INDEX